



**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Art. III. Vtrum oporteat hoc Sacramentum celebrari in domo & vasis sacris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

enim cap. citato, num. 85. censet licere Missam celebrare usque ad nonam, id est tertiam pomeridianam, addens, se id frequenter fecisse in itinere, & privilegia hac in parte pluribus dari solita concedi ad sedandos scrupulos, & solum continere ius commune. De horâ idem docuit Dur. quæst. citata, & plures antiquiores.

Sed Doctores communissimè contrarium sentiunt. Rich. suprâ, Vict. num. 97. Sotus art. citato. §. *privilegium autem*, Henriquez cap. citato num. 6. Toletus lib. 2. cap. 1. num. 8. Suarez sect. citata, conclus. 2. & plurimi alij, iuxta quorum sententiam

Dico 2. tempus legitimum intra quod sacra communiter celebrari debent, est antemeridianum, ita ut ante duodecimam, seu meridiem inchoari debeant.

Probat ex consuetudine, quæ licet superioribus sæculis fortè non fuerit uniuersalis, vel de eâ non ita constare, iam tamen non potest merito in dubium reuocari. unde licet Dur. possit excusari, nullo tamen modo sententia Nauarri uniuersum sumpta potest hoc tempore ad praxim deduci absque peccato, & ut videtur graui, quamuis Toletus suprâ, de grauitate peccati subdubitet, quod confirmari potest ex Trid. sess. 22. in decreto de obseruandis in Missa, ubi dicit: *edicto & panis canonicæ* (scilicet Episcopi) *ne sacerdotes alij quam de his horis celebrent.*

Dixi, communiter, quia in aliquo casu sacrum potest inchoari etiam post meridiem. 1. si necesse sit ad præbendum infirmo viaticum. 2. ut peregrini sacrum die festo audire possint, vel si sacerdos iter faciens non possit die festo ante meridiem celebrare. 3. si aliquo festo celebri sit periculum, ne plures sacrum non audiant propter officij prolixitatem. 4. ex concessione Episcopi in casu particulari. 5. si instituat solemnem supplicatio, cui sacrum succedat. in his & similibus casibus sacrum potest post meridiem inchoari, non tamen differri usque ad horam 3. si casum viatici excipiamus.

Aduerte 1. in festis solemnibus, dedicatione templi, vel exequijs alicuius magnatis sacrum solemne facit solere proferri notabiliter ultra meridiem, quibus casibus tempore illius sacri licitum est etiam absque privilegio priuatum sacrum inchoare post meridiem. nam quamdiu durat summum sacrum, debet ceteri tempus idoneum pro alijs celebrandis, immò in festo solemnibus potest sacrum priuatum inchoari summo sacro decantato, ut dictum est.

Aduerte 2. quod plures recentiores notant, nos non debere esse magnopere anxios de meridiem, sed posse paulò post meridiem sacrum celebrari, quia res hæc moralis, quæ non est lege determinata, non definitur termino indiuisibili ex ipsamet consuetudine, & parum reputatur pro nihilo.

Aduerte 3. aliquos ex privilegio posse etiam vnâ, vel alterâ horâ sacrum post meridiem inchoare.

Dubitari hæc potest, num celebrationi Missæ matutinum sit præmittendum? ita censent varij, videturque confirmari ex Missali Romano de ritibus Missæ. Sed plerique recentiores censent cum Soto art. 2. citato in fine non esse obligationem sub graui peccato; ita Toletus cap. 1. citato. §. *alterum verbum est*, Sa verbo *Missæ*, num. 22. Suarez disp. 82. sect. 1. Lessius lib. 2. de virtutibus cap. 37. dub. 12. in fine, quia ex nullo iure, vel consue-

tudine obligante potest ostendi, quòd recitatio matutini sit dispositio necessariò prærequisita celebrationi Missæ, cum propriè non habeant inter se necessariam connexionem, sed matutinum solum requiratur tanquam tempus conueniens, ut manè recitetur, & non nimium differatur, non verò quòd celebratio faciat per se requiratur, ut priùs recitetur. Confirm. plurimum sententiâ, ut peccatum mortale euitetur, sufficit officium quacumque horâ diei naturalis recitare.

Hæc sententia est probabilior, secundum quam dicendum est nullum esse peccatum sacrum facere matutino non recitato, si causa subsit, ut si sacrum valde manè sit celebrandum, quòd si nulla subsit, omnium sententia est aliquod peccatum, sed horum sententia non nisi veniale propter aliquam indecentiam, & quia id non solet fieri sine dilatione ultra tempus conueniens recitationi matutini. ubi obiter

Aduerte sub matutino laudes etiam comprehendendi, quæ frequentius cum matutino legi solent, & sine rationabili causâ non debent sacro postponi. non est eadem ratio de primâ, ante cuius recitationem sacrum potest celebrari citra omne peccatum.

Ad id quod ex Missali adfertur, Resp. inde solum haberi matutinum communiter præponi, neque sacrum absque rationabili causâ solere fieri ante illius recitationem, non verò haberi committigi graue peccatum si matutinum postponatur.

ARTICVLVS III.

Utrum oporteat hoc Sacramentum celebrari in domo, & vasis sacris?

RESPONSIO, quæ ex solutionibus argumentorum elicitur, est affirmatiua. In solutione tertij ostendit cur templa consecrentur, de quorum erectione & dedicatione plerique docti hoc tempore scripserunt, inter quos Bell. tomo 1. lib. 3. de Ecclesia.

DVBIVM I.

Utrum sacrificium intra Ecclesiam necessarium sit celebrandum?

RESP. communiter id esse necessarium, ita S. Tho. resp. ad 1. & 2. & passim Doctores: patet ex varijs canonibus de consecratione, dist. 1. can. *sicut*, qui est Felices 4. can. *Missarum solemnium*, ex Concil. Triburien. can. *hic ergo*, ex Clemente, can. *nullus presbyter*, ex Sylu. ex quibus patet Ecclesias debere esse ab Episcopo consecratas, quod statutum est ad maiorem reuerentiam huius Sacramenti & ad maiorem fidelium deuotionem excitandam.

Aduerte 1. quamvis olim requireretur ut loca essent ab Episcopo consecrata, postea tamen consuetudine licitum fuisse celebrare in Ecclesiâ solum benedictâ, immò autoritate Pontificis, vel Episcopi sufficere loca ad celebrandum destinata, benedictâ, sine alia speciali consecratione vel benedictione. Potestas videri potest Angelus verbo *Missæ*, num. 40. Sylu. eodem verbo, quæst. 5. dicto 3. & plures alij.

Aduerte 2. potestatem Episcoporum in designandis locis non benedictis per Trid. restringi, ut patet benedictis ex sess. 22. decreto de obseruandis, & euitandis in celebratione Missæ, ubi dicitur: *Nene patiantur*

privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad diuinum tantum cultum dedicata oratoria ab eisdem Ordinariis designanda, & visitanda sanctum hoc sacrificium à secularibus, aut regularibus quibuscumque peragi. vnde, vbi Concil. Trid. est receptum, Episcopi non possunt pro sacrificio deputare loca etiam honesta, in quibus alia exerceri solent: v. g. coenaculum vel aulam, quamuis id possint, vbi non non est receptum.

147.

Difficultas
proponi-
tur.

Resoluitur
affirm.

Difficultas est, an, vbi Trid. receptum est, Episcopus nullo modo possit concedere licentiam celebrandi extra Ecclesiam vel Oratorium ad diuinum tantum cultum deputatum: negat Nauarr. cap. 25. num. 81. Plerique alij affirmant: Henriquez lib. 9. cap. 27. num. 1. Suarez disp. 81. sect. 3. §. secundò obseruandum, Toletus lib. 2. cap. 2. quod est probabilius. pro quo

Notandum iure antiquo licuisse ex Episcopi licentiâ, vel concessione extra ecclesiam celebrare, vt patet ex Concil. Triburiensi, can. *Missarum solennia*, citato, vbi dicitur, *Missarum solennia non ubique sed in locis ab Episcopo consecratis, vel vbi ipse permiserit, celebranda esse censemus*; & ex can. *hic ergo*, citato, vbi Clemens ait: *in alijs locis sacrificare, & Missas celebrare non licet nisi in his, in quibus Episcopus proprius inuenerit, aut ab Episcopo regulariter ordinato &c. consecrata fuerint*. videri etiam potest can. *clericos*, eadem dist. ex quibus patet Episcopum potuisse propriâ autoritate huiusmodi facultatem concedere, non verò tantum per modum dispensationis, atque adeò potuisse concedere nullâ etiam interueniente necessitate (quod & nunc potest vbi Trid. non est receptum): Trid. autem loco citato voluit hanc potestatem ordinariam restringere; non autem videtur voluisse auferre potestatem iustâ ex causâ in aliquo casu dispensandi.

Confirm. quia Concil. non agit de potestate dispensandi Episcopis conueniente. vnde verius est, quod Episcopus ex causâ rationabili possit dispensare vt sacrum celebraretur in loco honesto domus priuata etiam alijs vîbus deputato, vt si vir valde nobilis agrotet, potest Episcopus dispensare, vt in eius cubiculo sacrum fiat, tum vt sacrum audire possit, tum vt possit communicare. potest etiam Episcopus multo magis concedere, vt occurrente necessitate sacrum fieri possit extra loca ad id peculiariter deputata, cum communi sententia id permîssum fuerit etiam sine licentiâ Episcopi, vt sentit Sotus dist. 13. quaest. 2. art. 3. §. *circa hoc*, & Nauarr. num. 82. qui censet per Trid. non esse reuocatum.

Sotus,
Nauarr.

148.
In necessi-
tate licet
extra Ec-
clesiam &
loca ad id
deputata.

Vnde in conclusione dixi, *communitè*, quia in necessitate licet extra Ecclesiam, & loca ad id specialiter deputata, celebrare. patet ex can. *sicut*, citato, vbi licet Felix 4. summam requirat necessitatem, tamen eorundem consuetudo conformiter ad can. concedimus, qui est Concilij Triburiensis eadem dist. in longè minori permittit, vt in publicâ supplicatione, quando populus capi non potest angustijs alicuius Ecclesiae.

2. Quando appellat classis quæ diu sacro caruit.
3. In castris militum, semper tamè opus est altari saltem portatili, vt sacrum quocumque in loco fiat. requiritur etiam, vt honestati & decencie consulari, & imprimis, vt nullum subsit periculum effusionis sanguinis. vnde non licet sacrum in mari celebrare, vt Angelus suprà, Sylu. verbo *Missæ* quaest. 5. dicto 2. Nau. num. 82. citato, Suarez sect. citata §. *tertium exceptum*, Vafquez disp. 233. cap. 1. §.

Non licet
celebrare
in mari.

eternum, & alij; quia semper subest huiusmodi periculum

Præter hos casus Episcopus in itinere constitutus potest celebrare extra Ecclesiam vel facere celebrari, vt sacrum audiat, prout conceditur cap. ultimo, de priuilegijs, in 6. id verò potest pro sua commoditate sine vltiori necessitate, quia concessio non restringitur ad necessitatē, potest etiam extra suam diocēsim, cum concessio sit absoluta, immò ex textu satis pateat eam concessione extendi ad Episcopum iter facientem extra diocēsim. Neque concessio per Trid. reuocatur; vnde Episcopi etiam post Trid. vt possunt eo priuilegio, quod dignitati Episcopali congruit.

Extant etiam circa hoc varia religionum priuilegia.

Hic oritur difficultas 1. num sepositâ necessitate, vel priuilegijs, vel iustâ Episcopi concessione sit graue peccatum celebrare extra loca ad id specialiter deputata: Negat Sotus §. *circa hoc* citato, verum illius sententia nullam habet probabilitatem, cum ex canonibus citatis satis constet non licere Missas celebrare extra huiusmodi loca, materia autem huius prohibitionis non potest censeri parua, cum notabiliter faciat ad cultum & reuerentiam rebus sacris debitam, quod sacrum non nisi in locis ad id peculiariter deputatis celebratur.

2. Difficultas est vtrum priuilegia super hæc religiosis ante Trid. concessa, sint reuocata: Affirmat Nauarr. suprà, Suarez sect. citatâ in fine, in quod videtur propendere Henriquez lib. 9. cap. 27. num. 2. in commentario litterâ S.

Sed verius est non reuocari, quia in eo decreto nulla est clausula, quæ priuilegijs regularium antea concessis deroget, vel ea reuocet, nec refert quod in fine dicti decreti dicatur: *Non obstantibus priuilegijs, exemptionibus, appellationibus, ac consuetudinibus quibuscumque*, quia illa commodè possunt referri ad immediatè præcedentia, nimirum, atque ad ea inuoluntè seruanda censuris ecclesiasticis, alijsque pœnis, quæ illorum arbitrio constituuntur, fidelem populum compellant. vnde censio priuilegium datum Prædicatoribus, & Minoribus cap. *in his*, de priuilegijs, non esse reuocatum per Trid.

Confirm. canon. insertus iuri communi non debet dici reuocari nisi sufficienter constet de reuocatione, cum sit fauorabile ius commune remanere, & eius reuocatio censetur odiosa; in præsentem autem non clarè constat reuocari, vt ostendi.

D V B I V M II.

Vtrum sacrum Missæ officium in Ecclesia violata celebrari possit?

Respondetur, communiter non licere ita Doctores, & infirmat S. Thomas responsione ad 2. & 3.

Potest Ecclesia varijs modis violari. 1. per homicidium, can. si motum, de consecratione, dist. 1. & can. *proposuisti*, de consecratione Ecclesiarum, ex quibus iuribus homicidium videtur debere esse voluntarium, eo modo quo homicidium voluntarium accipitur in iure, quia iura imponuntur quam pœnam ratione homicidij solitariè sumpti communi Doctorem sententiâ intelliguntur de homicidio voluntario.

Confirm.

Confirm. cap. proposuisti, citato agitur de homicidio per contentiones, & rixas contingente.

Nihilominus Doctores passim videntur docere sufficere homicidium iniuriolum, & in genere iniustitiae mortale, ad hoc vt Ecclesia censetur violari ratione homicidij, licet non ita distincte explicent, quod quamuis sit dictum minus conformiter ad ea, quae communius traduntur de poenis homicidij etiam solitarie sumpti, per quod dicitur intelligi iniuriolum, prout distinguitur a casu, si etiam iniuriolo, nolim tamen a torrente Doctorum recedere.

Ex his deduco 1. Ecclesiam non violari, si quis amens alium occidat. 2. si occidat in iustam sui defensionem, quia haec homicidia non sunt peccata, nec censenda sunt ad sensum can. voluntaria.

Deduco 2. quod cum ad hoc, vt Ecclesia violetur, homicidium debeat in ea contingere, illa non violetur, si mors contingat in ecclesia, cuius causa extra data est, cum eo casu homicidium non contingat in Ecclesia: similiter non violetur, si causa data quidem sit in Ecclesia, mors tamen extra illam sequatur, cum neque eo casu homicidium sit dicendum in ecclesia contingere. quare requiritur vt & causa mortis sit data in ecclesia, & mors in ea sequatur, cum vtrumque requiratur, vt homicidium dicatur in ecclesia contingere. hinc ecclesia non violatur, si quis suspendatur ex parietibus templi extra ecclesiam. Sufficit tamen homicidium intra ecclesiam fieri in quavis eius parte v. g. in capella quae sit, & censetur pars ecclesiae, quamvis etiam fiat sine sanguinis effusione, vt suffocatione.

Varij Doctores idem censent de executione capitalis, sententia facta in ecclesia, quia per talem executionem saltem fit iniuria ecclesiae, quae ab huiusmodi actibus debet esse immunis. ita Sylu. verbo consecratio 2. quaest. 5. dicto 1. Nauarr. cap. 27. num. 251. Suarez disp. 81. sect. 4. in primo casu. Sa verbo ecclesia, num. 13. Azor. 1. parte moralium lib. 10. cap. 27. quaest. 13. quod licet ex iniurijs citatis non clare pateat, cum talis executio secundum iura non censetur homicidium, si respectu rei non contineat aliam iniustitiam, quam quod fiat in loco sacro, non iudico tamen ab illa Doctorum sententia recedendum, cum Ecclesia videatur tacite suam legem iuxta eorum intellectum accipere, nam eo casu ecclesia ante celebrationem reconciliaretur.

2. ecclesia polluitur, seu violatur per sanguinis effusionem, can. ecclesijs, de consecratione, dist. 1. & cap. si ecclesia, de consecratione ecclesiae.

Notandum 1. Doctores passim requirere, vt sanguis in copia emittatur, vt vox ipsa effusio denotat. 2. requirere iniuriam & quidem notabilem: si enim nulla interueniente iniuria emittatur etiam in copia, non ideo polluetur ecclesia; si militer non polluetur, si iniuria non sit notabilis. Unde deducitur quod licet per iniuriosam actionem sanguis fluat in copia ex naribus, ecclesia non statim censenda sit polluta, quia sanguis facile ex naribus solet fluere etiam absque graui iniuria, quod si omnibus spectatis, iniuria censetur grauis, ecclesia polluetur etiam propter effusionem sanguinis ex naribus, vt si impingatur Episcopo &c. alapa in ecclesia, ex qua sanguis per nates copiose fluat.

Notandum 2. non requiri, vt sanguis effluat in paucum, nam ecclesia polluetur, si quis gra-

uiter ab alio percussus sanguinem in sudario recipiat, ratio est, quod etiam in eo casu sanguis effundatur in ecclesia, immo violatur Ecclesia, si quis intra eam graue vulnus accipiat, quamuis extra ecclesiam cruorem emittat, quod etiam censendum, quo casu aliquis seipsum voluntarie grauiter vulneraret. videri potest cap. proposuisti, citatum.

3. polluitur seminis emissionem, can. ecclesijs, & cap. si ecclesia, citatis. Requiritur 1. vt emissio sit peccatum mortale. 2. vt fiat intra templum, vnde non polluitur, si semen emittatur in turr, in loco sub pauidamento, in cubiculis templo coniunctis, vel quocumque alio, qui non censetur intra templum.

3. aliqui requirunt, vt semen emittatur in vigilia. Sylu. verbo consecratio 2. quaest. 5. dicto 3. Victor. num. 99. Nauarr. cap. 27. num. 252. Sotus dist. 13. quaest. 2. art. 3. §. ut quarto, & proinde eorum sententia propter pollutionem contingentem in somno etiam ex praui causa data in vigilia ecclesia non violatur. videri potest Henriquez cap. 27. citato num. 5. qui littera P. varios citat, videri etiam potest Auila tract. 2. de censuris, parte 5. disp. 7. §. secundus est. Sufficit tamen emissio illi citae siue per pollutionem, siue per fornicationem, siue quolibet alio modo, etiam per actum coniugalem illicitum, in quo censetur loco sacro fieri iniuria.

Petes 1. vtrum requiratur, vt semen in copia emittatur? ita censent communiter Doctores. verum, si consideremus iura citata, id non videtur requiri. nam canone, ecclesijs citato, ita dicit Concilium Nicaenum: ecclesijs semel consecratis non debet iterum consecratio adhiberi, nisi ab igne existat sanguinis effusione, aut cuiuscumque semine polluta fuerint. cap. verò, si ecclesia, citato, ita ait Gregorius 9. si ecclesia non consecrata cuiuscumque semine fuerit, aut sanguinis effusione polluta &c. ex qua loquendi diuersitate videtur colligi ius non requirere effusionem seminis, seu copiam, vt ecclesia ex eo capite polluitur. videturque posse congruentia adferri, quod emissio cruoris in parua quantitate raro sit mortalis, saltem non ita facile supponi possit esse mortalis: voluntaria verò seminis emissio peccaminosa est peccatum mortale, quamuis semen non effundatur in copia, & ecclesia in suo foro non potest facile contrarium praesumere. videtur ergo statuisse, vt ecclesia non pollueretur propter sanguinis emissionem, nisi ea esset copiosa, pollueretur verò propter mortalem emissionem seminis licet non copiosam.

In hac tamen materia odiosa non iudico recedendum a communi Doctorum sententia, praesertim cum canones possint eorum explicationem recipere, vel saltem cum ea moderatione videantur recepti.

Petes 2. vtrum propter actum coniugalem exercitum in ecclesia, ea polluitur. Simpliciter affirmat Syluest. verbo consecratio, 2. quaest. 5. dicto 3. Victor. num. 99. Nauarr. cap. 27. num. 252. Alij simpliciter negant, insinuat Sotus §. ut quarto citato. Tertia sententia distinguit, censet enim pollui, si actus sit sacrilegus, non verò, si omnibus spectatis non sit sacrilegus, tenet Suarez disp. 81. sect. 4. citata. §. tertio polluitur, Henriquez num. citato, & sequitur ex ijs quae docet Sa verbo ecclesia, num. 14.

Hac sententia videtur verior, quia pollutio Resp.

Ecclesiae ex hoc tertio capite non videtur induci, nisi intercedat peccatum, vt Doctores videntur indicare, vnde quando actus carnalis non est peccatum, & quidem mortale, non est causa pollutionis Ecclesiae.

Confir. per actum non peccaminosum non potest dici irrogari iniuria Ecclesiae, ergo Ecclesia non debet censi eo casu pollui. iuxta hanc explanationem intelligendi sunt canones citati. quod si actus sit sacrilegus sit iniuria Ecclesiae, quod sufficit vt ea censetur pollui.

Ex his sequitur quod, dum coniuges debent diutius in Ecclesia tempore belli commorari cum periculo incontinentiae si abstineant ab actu coniugali, templum non polluitur, si actum coniugalem in eo exercent; quia in tali circumstantia non potest censi templo irrogari iniuria, neque actus est sacrilegus. addo non pollui, etiam si forte nimis effrante huiusmodi actum exercent, quia ille immoderatus animus non reddit actum externum mortaliter malum, & templo iniuriam. videri potest Sylu. supra, qui in hoc casu consentit.

4. violatur Ecclesia si excommunicatus in ea sepeliatur. cap. consuluisti, de consecratione Ecclesiae, quae constitutio hoc tempore est intelligenda iuxta moderationem Concilij constantiensis de evitandis excommunicatis, scilicet ad hoc requiri vt i) sint nominatim denunciati, vel publici clericorum percussores.

Idem proportionem dicendum de cimiterio, quod scilicet non polluitur, si excommunicatus toleratus in eo sepeliatur.

5. violatur, si infidelis, seu non baptizatus in ea sepeliatur, can. Ecclesiam, r. & 2. de consecratione, dist. 1. qui canones ab Ecclesia recepti sunt: intelliguntur verò de infideli nato ex vtero; non verò de eo, qui adhuc later in vtero materno. vnde quando proles in vtero materno existens sepelitur cum matre gravida mortua, Ecclesia non debet censi polluta ex hoc capite, quamvis pollui possit ratione homicidij, si proles sit viva, quae moriatur in Ecclesia.

6. communiter Doctores asserunt Ecclesiam pollui si consecratur ab Episcopo excommunicato denunciato, sed probabilius est quod censet Suarez sect. citata §. quando violatur, scilicet non pollui, quia violatio supponit consecrationem, vel benedictionem, nam iuxta communem Doctorum sententiam Oratorium ab Episcopo deputatum sine vlla consecratione, vel benedictione non violatur, cum ergo in nostro casu non supponatur benedictio, locus non est dicendus violari, praesertim cum in materia odiosa argumentum à simili non sit validum, vnde non sequitur: Ecclesia violatur per sepulturam excommunicati in ea; ergo etiam per consecrationem illius ab excommunicato factam. praeterquam quod, vt ex dictis patet, non sit simile, nam sepultura excommunicati supponit consecrationem Ecclesiae, quae proinde potest violari, consecratio autem non supponit aliam priorem.

7. violatur Ecclesia, si eius parietes destruantur. colligitur ex cap. lignis, de consecratione Ecclesiae. Glossa in cap. proposuit citatum & quidam alij censent id esse verum, etiam si successivè destruantur, ita vt reparentur, antequam maior pars censetur destructa, sed probabilius est non violari nisi saltem maior pars simul destruat, vel maneat simul destructa. videri potest Sylu. quaest. citata in fine, & eodem verbo, quaest. 4. Nau. cap.

citato num. 250. Sa verbo Ecclesia num. 18. & alij. vnde si parietes pereant per partes, reparentur tamen antequam maior pars simul censetur perijisse, vel destructa, Ecclesia non perdit suam consecrationem.

Aduerte 1. dicta de violatione Ecclesiae consecrata, posse applicari Ecclesiae solum benedictae sine consecratione, vt communiter Doctores, excepto 6. casu; non tamen habere locum in alijs locis deputatis ad diuinum officium, vel sacrificium sine benedictione, v. g. in Oratorijs ab Episcopo ad hoc deputatis, quae nec propter sanguinis, vel seminis effusionem, nec propter homicidium in ijs perpetratum violantur.

Aduerte 2. vt Ecclesia consecrata, vel benedicta violetur, communi Doctorum sententia requirit vt factum propter quod violatur, sit publicum, & de eo constet, quod colligitur ex cap. significasti, de adulterijs, vbi id statuitur de seminis effusione. vnde nisi falsum constet de homicidio in Ecclesia perpetrato, vel de effusione sanguinis, vel seminis, Ecclesia non censetur violata. incipit tamen censi violata, quandocumque constabit idem dicendum de sepultura pagani vel excommunicati.

Aduerte 3. polluta Ecclesia pollui cimiterium coniunctum, vt communiter Doctores, quod colligitur ex cap. vnicò de consecratione Ecclesiae, vel altaris, in 6. ex quo tamen minus efficaciter videtur probari, cum cap. solum, agat de pollutione Ecclesiae, quae oritur ex sanguinis effusione, quod propter aliquam rationis paritatem non videtur ad alios modos pollutionis extendendum, cum ea forma argumentandi in odiosis parum sit efficax: si ergo ius spectemus, solum censetur pollui cimiterium coniunctum, quando Ecclesia polluitur sanguinis effusione.

Dixi, coniunctum, quia textus id expresse requirit, immò addit: *secus si remotum fuerit ab eadem*, scilicet Ecclesia, vnde sequitur, quod polluta Ecclesia non polluitur cimiterium distans, quamvis ad illam pertinet. Dixi etiam, polluta Ecclesia pollui cimiterium, non vero e contra, quia vt cap. citato, polluto cimiterio etiam coniuncto Ecclesia, ea non polluitur, ne minus dignum maius, aut accessorium principale ad contrahere videatur.

Notandum etiam ex eodem cap. quando plura sunt cimiteria sibi cohaerentia, pariete intermedio se iuncta, vno polluto non violari alterum, etiam si ex vno ad aliud pateat accessus per portam intermediam. Quod si contingat huiusmodi portam pollui, polluitur cimiterium ad quod illa censetur pertinere, si ad vtrumque pertineat, polluitur cimiterium vicinior parti ianuae pollutae. videri potest Sa supra, num. 23. si porta templi polluat in interiori parte versus Ecclesiam, polluitur Ecclesia, non verò si porta polluat in parte exteriori.

In ecclesia consecrata, vel benedicta polluta non potest, vt dixi, communiter sacrificium celebrari, & si peccatum mortali, antequam reconcilietur, nec possunt celebrari diuina officia, vel mortui sepeliri, nullo tamen iure statutum est, vt propter hanc celebrationem incurrat irregularitas.

Quando polluitur ecclesia, quae erat consecrata, debet per Episcopum reconciliari, cum aqua & se, vel alio Episcopo, cum vino, & cinere benedicta, vt patet ex cap. proposuit, & cap. aqua, de consecratione Ecclesiae. Dico, per Episcopum, quia, vt patet cap. aqua, citato, Episcopus non potest hanc reconciliationem simplici sacerdoti committere, cuius

contrarium

Si actus coniugalis sit sacrilegus, sit iniuria Ecclesiae.

157.

Violatur quarto, si sepeliatur excommunicatus.

158.

Violatur quinto si non baptizatus in ea sepeliatur.

DD: asserunt etiam pollui si consecratur ab Episcopo excommunicato denunciato. Sed id non placet.

159.

Violatur septimo, si parietes destruantur.

contrarium improbabiler asserit. Sa supra num. 20. Ex facultate tamen summi Pontificis potest Ecclesia consecrata per simplicem sacerdotem reconciliari, quod quibusdam religiosis concessum est, qui videntur polle reconciliare aqua, quam vocant Gregorianam, per eos benedicta, vt ex tenore privilegiorum non difficulter deduci potest.

Per cap. citata, videtur derogatum canonibus, *de motu*, & *Ecclesijs*, de consecratione dist. 1. vbi Ecclesia violata per homicidium, vel adulterium, item sanguinis, vel seminis effusione, dicitur denud consecranda.

Quod si ecclesia solum fuerit benedicta, potest reconciliari per sacerdotem cum aqua ab ipso benedicta, vt videtur patere ex cap. *si ecclesia*, de consecratione Ecclesie, vbi dicitur: *si ecclesia non consecrata, cuiuscumque semine fuerit, aut sanguinis effusione polluta, aqua proxima exorcizata, lauetur, ita communiter censent Doctores*. Glossa in cap. citatum, Siluest. verbo *consecratio* 2. quæst. 8. & alij, quod etiam dicendum de reconciliatione cæmeterij, quando ipsum vulgari modo fuit solitariè benedictum, non vero, cum ecclesia consecrata.

Queritur potest, num sit opus licentiâ Episcopi. Resp. non videri, quamuis sit congruum eam petere, quando Episcopus commodè potest adiri. insinuat Siluest. supra, tenet Henricus cap. 27. citato num. 6. Auila de censuris parte 3. disput. 7. dub. 4. conclus. 1. & potest colligi ex verbis relatis cap. *si ecclesia*, nam si Pontifex vellet expectari mandatum vel licentiam Episcopi, non vteretur eâ loquendi formâ.

Aduerte 1. reconciliatâ ecclesiâ reconciliari etiam cæmeterium ipsi coniunctum, non vero de consecratione.

Aduerte 2. quando polluitur Ecclesia, eod quod in eâ sepeliatur non baptizatus, non tantum reconciliandam, sed eadaver etiam exhumandum, vt *cane ecclesiam*, de consecratione dist. 1. Idem censet Glossa in cap. *si ecclesia*, citatum, de excommunicato. Quod si ecclesia violatur, eod quod maxima pars parietum simul perierit, vel maneat destructa, postquam fuerit reedificata, noua indiget consecratione, vide Siluest. supra quæst. 4. & cap. *lignis*, de consecratione ecclesie.

Quamuis sit graue peccatum communiter in Ecclesiâ violatâ celebrare, id tamen interdum licet ex Episcopi facultate propter aliquam necessitatem, vt S. Tho. hic, resp. ad 2. & plures alij. Sortus tamen artic. citato. *si vero*, censet maiorem ad hoc requiri necessitatem, quam vt liceat extra Ecclesiam celebrare. insinuat etiam in maximâ necessitate, quando non posset adiri Episcopus, posse sine expressâ eius licentiâ sacrum fieri in Ecclesiâ violatâ, quæ extensio non videtur facile admittenda. Aliqui etiam addunt per celebrationem bonâ fide factam Ecclesiam sufficienter reconciliari, ita vt postmodum absque vteriori reconciliatione liceat in eâ celebrare. Sa supra num. 19. Auila supra ab. 3. *Castro respondet*, sed hæc, quæ nullo iure iuntur, vel ratione vrgente, non videntur in iis, quæ ab humano iure pendent, facile admittenda.

In fine dubij. Aduerte non posse etiam Missam fieri in loco interdicto extra casus cap. *alma Mater*, de sententiâ excommunicationis in 6. & celebrantes in loco interdicto contra iuris prohibitionem fieri irregulares, immo tam religiosos exemptos, quâni saculares præsumentes celebrare in loco interdicto, vel facere celebrare interdicti ingressu Ecclesie, cap. *Episcoporum*, de privilegijs in 6. dico,

exemptos, quia can. de illis agit, & querela videntur de iis Pontifici expolita.

D V B I V M III.

De altari ad celebrandum necessario.

CELEBRARE sine altari est graue peccatum mortale, vt communiter Doctores. A tempore Siluestri altare debet esse lapideum, vt patet ex can. 1. *altaris*, & 2. de consecratione, dist. 1. & ex festo Dedicationis Basilicæ Saluatoris 9. Nouembris, quod ita intelligitur, vt in altari fixo ipsa mensa sit lapidea, nam reliqua pars potest esse terrea, vel lignea. debet etiam certo ritu consecrari, vt patet ex canonibus, & ex Romano Pontificali, consecratio autem fieri debet ab Episcopo, nec potest absque licentiâ summi Pontificis per alium fieri.

An sit de substantiâ consecrationis altaris, vt imponantur reliquiæ, dubitari potest. Negant Sotus dist. 13. quæst. 2. art. 3. §. *sexto denique*, Suarez disp. 81. sect. 5. §. *tertio additur*, Valquez disp. 233. cap. 2. §. *alterum est*. Alij asserunt, Siluest. verbo *altare*, num. 1. Fumus eodem verbo num. 5. & 7. Azor 1. parte moralium lib. 10. cap. 27. quæst. 8. qui plures citat dicentes esse communem sententiam, indicat Henriquez lib. 9. cap. 28. num. 1. Sa verbo *altare*, quæ sententia videtur verior, patetque ex formâ consecrationis in Romano Pontificali, neque facile ostendi potest, derogatum contrariâ consuetudine, quidquid sit hac de re, non iudico altare posse consecrari sine reliquijs, quando illa facile haberi possunt, & proinde Abbatem ex privilegio valentem consecrare altaria, debere apponere reliquias, nec posse sine illis consecrare, si commodè haberi possunt.

Consecratio altaris portatilis perit, si lapis ita frangatur, vt in neutra parte hostia possit commode reponi cum maiori parte calicis, alijs non, quamuis aliquo modo frangatur, vel lignum ab eo separatur (nam lapis consecratus in altare portatile, seu viaticum potest ligno circumdari) ita multi Doctores; fixum vero definit remanere consecratum, si mensa separatur a reliquâ structurâ, v. g. a columnis, vel lapidibus eam sustentibus, non vero si totum loco moueatur, vel ab imo ad summum moueatur, vt fiat altius, ita Palud. dist. 13. quæst. 2. artic. 4. conclus. 2. Angelus verbo *altare*, num. 2. Siluest. eodem verbo, quæst. 8. Perit etiam consecratio, si lapis enormiter frangatur, videri potest cap. 1. de consecratione Ecclesie, vbi dicitur, *aut etiam diminutus*, quod explicatur cap. 3. eodem titulo, cum dicitur: *vel enormiter fracti fuerint, vt si cornua immunda frangantur*. neque enim modica diminutio tollet consecrationem etiam altaris fixi.

Ex quo obiter patet neque altare portatile, neque fixum posse componi ex pluribus lapidibus inter se coniunctis, sed debere esse vnum modo explicato integrum.

Aduerte altari fixo perdente consecrationem, Ecclesiam non debere rursus consecrari, vt respondit Alexander 3. cap. 1. citato. ad can. *si motum*, de consecratione, dist. 1. vbi Hyginus Papa contrarium videtur decernere. Dico ecclesiam moto altari iteratò debere consecrari, non secundum se totâ, sed secundum sui partem, scilicet altare.

164.

Mensa debet esse lapidea in altari fixo. Consecratio fieri debet ab Episcopo.

Videtur de substantiâ consecrationis, vt imponantur reliquiæ.

166.

Consecratio quâdo percat.

Coroll.

Edr.

Edm.

Edm.

Edm.

Edm.

D V B I V M I V.

De ornatu altaris, in quo sacrum faciendum.

167.

VT sacrum in aliquo altari licite fieri possit, in primis requiritur, vt illud instruat linteum, quod totam mensam cooperiat, insuper altero, quod saltem cooperiat eam partem altaris, quae est consecrata, & dicitur ara, quae linteum olim vocabantur palla.

Aduerte 1. non esse necesse, vt sint duo distincta linteum, sed sufficere vnum duplicatum. 2. non requiri, vt haec linteum, seu mappa sint benedicta, vt docent Toletus lib. 2. cap. 2. Suarez disp. 81. sect. 6. conclus. 1. Vasquez disp. 233. cap. 3. Azor parte 1. lib. 10. cap. 28. §. quares.

Præter hæc requiritur linteum album quod vocatur corporale, eam. consilio, de consecratione, dist. 1. ex quo can. pater debet esse linteum, non vero sericum, item debet esse album, non vero tinctum. Hoc linteum olim non solum ad hoc deferuebat, vt corpus Domini, & calix super illud poneretur, sed etiam vt aliqua eius parte calix cooperiretur, & proinde non tantum complectebatur corporale, vt communi vsui iam vsurpatur, sed etiam id, quod modò vocamus pallam, quæ calix cooperitur, ex quo patet quod & palla saltem ex ea parte, quæ tangit calicem, debet esse linea, & alba, patet etiam quod huiusmodi palla distincta à corporali non ita sit necessaria, quin eius defectus possit suppleri, partem corporalis calici superponendo.

Corporale debet esse benedictum (idem sit iudicium de parte pallæ, quæ tangit calicem) patet ex can. consilio, citato. hæc benedictio debet ab Episcopo fieri can. citato, neque potest etiam de eius licentiâ fieri per simplicem sacerdotem, vt constat ex cap. aqua, de consecratione. Manet vero benedictio, quamdiu linteum remanet sufficiens ad hostiam, & calicem capiendum, ita vt non perdatur etiam si magnum corporale scindatur in duas partes, nam qualibet pars apta ad recipiendum Christi corpus & calicem, benedictionem retinebit.

Petes, vtrum sit graue peccatum sine huiusmodi ornamentis celebrare?

Resp. 1. esse mortale, si omnia negligantur. 2. si negligatur corporale, in quod Christi corpus recipiatur, 3. si neutra mappa adhibeatur, quod si solum altera amittatur, ob necessitatem, & deposito contemptu, & scandalo, Suarez sect. citata, §. secundum, censet fortasse non esse mortale, idem tenet Azor supra, quod non est improbabile, quia illa omisso non videtur esse ita grauis, addit, si corporale sit paulo maius, possit plicari, & alteram partem posse feruire loco secundæ mappæ, quam sufficit cooperire partem altaris consecratam, vt in eâ fiat consecratio.

Præter hæc requiritur candela accensa in altari vt habet communis consuetudo, cuiusque omisso est mortalis, vt videtur insinuari cap. litteras, de celebratione Missarum, vbi inter cætera grauiter reprehenditur sacerdos, qui sine igne celebrauerat, sufficit verò vna, ex communi consuetudine, quam debet esse ceream asserit Suarez sect. citata §. tertio requiritur, cuius sententiæ videtur praxis fauere, quamvis Toletus cap. 2. citato §. sequitur, id

neget. Saltem nullo modo videtur probandum, vt sit ex seuo; cum candela sebaea in templis non soleant deferuire diuinis officiis, quamvis Azor supra censet in necessitate id esse licitum, in qua necessitate videtur licitum celebrare cum lucerna ex oleo, vt Vasquez cap. citato num. 25. quod etiam subinducit Suarez loco citato.

Requiritur etiam liber, qui saltem contineat canonem, vt communiter Doctores, ne in re tam ardua memoria hominem fallat, vnde communiter docetur eum, qui audet rem diuinam sine libro facere, peccare mortaliter, non est tamen improbabile, quod censet aliqui, non esse peccatum iusta de causâ sacrum sine libro celebrare, si ab his scandalum, & errandi periculum, videri potest. Vasquez in fine cap. citati, qui docet eos, qui propter debilitatem visus non possunt legere, possunt tamen sufficienter hostiam, & calicem videre, per mittendos celebrare, si Missam sufficienter memoriter teneant, videri etiam potest Suarez sect. citata §. quarto requiritur.

Solet etiam crux apponi, vt præscribitur in regulis Missalis, sed nullum extat ius id præcipiens & consuetudo eam apponendi non satis indicat omissionem continere graue peccatum, vnde nec Doctores id censent, modò fiat sine contemptu, vel scandalo.

D V B I V M V.

De vasis necessarijs ad Missam celebrandam.

RESP. requiri calicem cum patenâ, patet ex can. vasa, & can. vt calix, de consecratione dist. 1. qui sunt ab ecclesiâ recepti, hic calix debet esse ex auro, vel argento, vel saltem stanno, vt habetur can. vt calix, citato, vbi idem insinuat de patenâ, quod etiam vsus confirmat, vnde nullo modo licet in calice alterius materia celebrare absque peccato mortali, videri possunt prædicti canones, vbi specialiter prohibetur celebrari in calice ligneo, quod etiam valde reprehenditur cap. litteras, de celebratione Missarum, & merito, cum lignum, vt pote porosum, facile imbibet sanguinem Domini. Can. vt calix, specialiter prohibetur, ne fiat ex ære, vel aurichalco, quia hæc ob vim virtutem facile æruginem contrahunt, quæ vomitum prouocat, vt ibi dicitur, non potest etiam ex vitro fieri propter materiae fragilitatem, videri potest S. Th. ad 6. nec potest fieri ex lapide.

Dubitari potest an possit fieri ex plumbo, vt eum communiter negatur, siue enim plumbum sit eiusdem naturæ, & speciei cum stanno, siue non, mortali, & vsuali hominum estimatione censetur differre, & ex eo sequuntur incommoda quæ ex ære, vel aurichalco, saltem facile sordes contrahit. Id verò ita intelligitur, vt cuppa non possit esse plumbea, pro quo

Notandum non requiri, vt totus calix sit ex auro, argento, vel stanno, sed sufficere, si cuppa sit ex huiusmodi materia: nam pes potest esse ex ære, aurichalco, vel plumbo, consuetudine etiam Romæ permittente, vt pars inferior constet aliâ materia, obiter

Aduerte, quod licet propter paupertatem calix possit esse stanneus, tamen omnino debeat esse argenteus, & communiter esse illâ materiâ, ex quo aliqui docent, si ecclesiæ legetur calix, nihil

addendo,

Sufficit linteum duplicatum. Non necessarium debet linteum esse benedictum.

Corporale debet esse linteum & album.

Non perditur consecratio Corporalis, si scindatur magnum in duas partes.

Nō videtur mortale cū vnica mappa celebra- re in necessitate.

168. Omisio candelæ accensæ est mortalis. C. litteras.

addendo, intelligi legari argenteum, nec satis fieri si tradatur stanneus.

Calix hic debet esse consecratus, vt insinuat cap. vnico, de sacra vñctione §. vltimo, quod etiam vñs obtinuit. idem censendum de patenâ; essetque graue peccatum celebrare in calice non consecrato.

Consecratio fit cum chrismate, vt patet ex §. citato, solumque fieri potest per Episcopum, vel alium ex licentiâ Pontificis, quam non videtur habere Abbas, eo quod sit mitratus; nam quæ cum vñctione chrismatis benedicuntur, difficilius aliis conceduntur, quam Episcopis, quibusdam tamen ex speciali priuilegio id est concessum. vñusquisque sua priuilegia debet attentè considerare, & pendere quantum se extendant.

Consecratio calicis perit, si frangatur, vel eius partes ab inuicem separantur, ita vt cuppa separetur a pede, quod verum est de calice fixo, pro quo

Notandum calicem duobus modis confici, vno vt partes inter se cohaereant per modum partium continui, nec facile possint à se inuicem separari, altero modo vt partes possint facile separari, & data opera fiat, vt separari possint. dictum illud de perditione cōsecrationis calicis, verum est de fixo, seu facto priori modo, de altero autem calice, qui vocatur tornatilis, probabilis est non intelligi, seu per separationem partium non perire eius consecrationem, quod docent Henriquez lib. 9. cap. 18. num. 2. Sa verbo calix num. 1. Suarez disp. 81. sect. 7. §. *versus inquiri potest*, Valquez disp. 233. cap. 4. num. 39. qui dicit vñ receptam, & alij. ratio est quod per separationem prior forma non censeatur ita perire, vt per subsequentem coniunctionem censeatur noua superuenire.

Difficultas maior est num si calix inauratus perdat inaurationem, eaque innouetur, si nūl perdat consecrationem, sique denuo consecrandus, vt possit in eo celebrari; asserunt Angelus verbo calix num. 1. Silu. eodem verbo quæst. 2. Suarez sect. citata §. *alia*, Valquez cap. citato §. *probabilis tamen* intelligunt verò quando perit inauratio partis interioris, & renouatur. ratio est quod noua superficies adueniens, quæ Christi sanguinem contingit, non sit consecrata, cum consecratio partis interioris non censeatur illi communicari, quæ sententia est probabilis; Alij tamen probabiliter asserunt calicem eo casu non perdere consecrationem. Sa supra, num. 2. Henriquez num. citato & alij. quia remanet idem calix, qui erat consecratus, ergo remanet consecratio, cum hæc non pereat re permanente.

Hic quaerunt varij, an pyxis, in qua Christi corpus custoditur, debeat esse consecrata, seu benedicta?

Resp. negatiue, quod docent multi. idem est indicium de lunâ in remonstrantiâ, de qua expressè Sotus distinct. 13. quæst. 1. art. 3. §. *sed arguitur praeterea*.

Nec refert quod in Romano Pontificali peculiaris pro ea ponatur benedictio, quia non omnia necessaria sunt benedicenda, quorum in Pontificali ponuntur formæ benedictionis, vt patet ex pluribus, quæ ibi recensentur, neque potest aliunde ex iure colligi pyxidem necessario benedicendam. quamuis ergo id sit consulendum, non tamen est necessarium, nullo etiam iure præscribitur ex quam materia confici debeat, quamuis honestatis ratio semper sit habenda, & quantum fieri potest, sit argentea. quod si propter paupertatem sit

plumbea, omnino consulendum vt linteum benedictum intus ponatur, in quo sint hostiæ consecratae.

Pro complemento huius dubij notandum vasa sacra non nisi à sacris hominibus debere contingi, præsertim quando continent corpus, vel sanguinem Christi; quo casu non possunt contingi etiam à subdiacono. videri potest canon, non oportet, & can. non liceat, primus, dist. 23. item can. in sancta, de consecratione, dist. 1. Aliqui tamen existimant non esse mortale, si seposito scandalo & contemptu clerici inferiores tangant vasa sacra, quando corpus, vel sanguinem non continent. Suarez disp. citata sect. 8. §. *tertium exemplum*, Valquez cap. 4. citato §. *superest*, immò Sotus dist. 13. quæst. 2. art. 3. §. *sed circa*, putat ne quidem esse veniale, sed contrarium est verius. est autem mortale ea conuertere ad vñs profanos.

Monialibus etiam prohibetur corporalia, & pallas tangere, can. *sacratas*, dist. 23. citata: tamen post primam lotionem, saltem delictiâ Episcopij, ea possunt tangere.

D V B I V M VI.

De vestibus necessarijs ad celebrandum.

REQUIRUNTUR etiam ad Missam faciendam certa quædam vestimenta, nimirum amictus, alba, cingulum, manipulus, stola, casula, ita vt sine his celebrare sit mortale, vt communiter Doctores, quamuis aliqui probabiliter existiment non fore mortale, si vñum, vel alterum ex minoribus omittatur in necessitate. Hæc vestimenta debent esse benedicta, vt patet ex can. *vestimenta* dist. 1. vbi obiter

Notandum quod licet prædicto can. prohibeatur, ne ea ab alijs, quam à sacris hominibus tangantur, nullum sit peccatum; si à secularibus contrectentur, contrariâ consuetudine quoad hoc canonem derogante. esset tamen mortale illa in profanos vñs conuertere.

Vestimentorum benedictio diuersa est à benedictione corporalis, vt patet ex Pontificali Romano. debetque ab Episcopo adhiberi, neque is potest illam simplici sacerdoti committere, vt communiter Doctores, & colligitur ex cap. *aqua*, de cōsecratione Ecclesiæ, Pontifex tamen potest eam committere, & reipsa quibusdam commisit.

Hæc benedictio perit, si figura ita pereat vt vestimenta non censeantur amplius apta ad consuetum vñum, vt si manica separetur ab alba; vnde licet postmodum reparetur, indiget nouâ benedictione, quod si forma sufficiens remaneat, remanet etiam benedictio, quæ similiter remanet, si fracto cingulo pars residua sufficiat ad cingendum. possunt etiam partes neçi, antequam cingulum planè frangatur. Adde stolam duplicatam, vel casulam non perdere benedictionem per separationem, ideo enim ita benedicuntur, vt possint pro arbitrio separari.

Aliqui etiam dicunt stolam posse deferri loco cinguli, vel manipuli. Suarez disp. 82. sect. 2. in fine, Henriquez lib. 9. cap. 29. §. quinto, Sa verbo *Missæ*, num. 9. & alij. censent etiam manipulum posse deferri loco stolæ. idem tenet Nauar. cap. 25. num. 84. immò Henriquez supra & Sa num. 10. censent cingulum non necessario debere esse benedictum, quod antea docuerant Sotus dist. 13. quæst. 2. §. *primò videndum*, verbi *secundum requisitum*,

172.

Can. Non oportet. Can. non liceat.

Can. Sacratas.

173.

Est mortale sine illis celebrare.

Can. Vestimenta.

Benedictio perit si figura ita pereat vt non censeantur amplius apta ad vñum consuetum.

174.

Non videtur licere
viri cingulo
non benedicto, nisi
quidam
cōtium
sentiant.
Materia
corrupta
non potest
ad vñs
profanos
conueri.
Idem di-
cendum de
materiā cē-
plorum.

Ex licentia
tamē Episcopi
proba-
biliter pos-
sunt ad
profana cō-
ueri.

175.

In Polonia
celebratur
cooperto
capite in
hyeme.

Apud Chi-
nenses po-
test totum
sacrum ce-
lebrari coo-
perto capi-
te.

Breue Apo-
stolicum ut
in China
celebratur
recto cap.

rum, & Rich. eadem dist. art. 4. quaest. 4. verum illa licentia videtur nimis magna, cum constet de precepto: can. *vestimenta*, citato nullo autem modo constet de contraria consuetudine. unde existimo non licere vti cingulo non benedicto, vt Nauar. supra, Vasquez disput. 233. cap. 4. in fine. Azor 1. parte lib. 10. cap. 28. quaest. 6.

Adverte quando haec ita corrumpuntur, vt non possint amplius sacris vsibus deservire, materiam non posse in vsus profanos conueri, vt can. *vestimenta*, citato, quod etiam dicendum de Corporalibus, & pallis. Idem dicendum de materiā templo- rum, lapidibus, & lignis. videri potest can. *ligna*, de consecratione distinct. 1. vbi dicitur quod sint iungenda ad aliam Ecclesiam, vel ad profectum fratrum in monasterio, vel igni comburenda. videri etiam potest can. *altaris palla*, eadem dist. vbi dicitur, quod palla sit comburenda, & cineres in baptisterium inferendi, aut in pariete, aut fossis pavimenti, ne introeuntium pedibus inquinetur. idem sit iudicium de vestibus sacris. Verisimile tamen ex licentia Episcopi haec posse in vsus profanos conueri, vt Sa verbo *Ecclesia*, num. 2.

Difficultas est num ita sit illicitum sine vestibus celebrare, vt nullo euentu id liceat? ita censet Caiet. 1. 2. quaest. 96. art. 4. verum vt bene notat Nauar. supra, id est valde durum: unde illi videtur licitum ad vitandum mortis periculum, quod etiam tenent Henriquez supra, Sa verbo *Missae* num. 13. Valentia 1. 2. disp. 7. quaest. 5. puncto 6. §. *unde de caput illud*, Vasquez 1. 2. tomo 2. disp. 161. cap. 3. videri etiam potest tomo 4. in 3. partem tractatu de excommunicatione dubio 7. num. 14. Suarez lib. 3. de legibus cap. 30. num. 15. & alij, quorum sententia videtur probabilior: nam Ecclesia non videtur cum tanto rigore praecipere ne quis sine vestibus celebret, vt etiam in aperto vitae periculo aliter fieri non possit.

Præter haec vestimenta nihil aliud in rigore iuris requiritur, sed solum seruanda decentia & honestas, propter quam vsu receptum est, vt sacerdos celebraturus calceos vel crepidas induat: non videtur tamen graue peccatum, seposito contemptu vel scandalo, iis carere. vsus etiam habet, vt missa detecto capite celebretur, & proinde non debet celebrari capite cooperto citra necessitatem, vel aliam iustam causam, quibus casibus aliqui censent opus esse licentia Episcopi, sed, modò tollatur scandalum, ea non videtur necessaria, vt si æger vel valde frigidus celebret in aliquo priuato sacello. unde, quia in Polonia nullum ingeneratur scandalum, sacerdotes in hyeme sacrum celebrant capite cooperto: planè tamen conuenit pro consecratione caput aperiri, nisi mos patriæ aliud requirat. quod addo quia Pater Nicolaus Trigault cum ex China ad nos venisset, mihi & aliis narrauit anno 1617.

(quod & in suam historiam retulit lib. 1. cap. 7. expeditionis christianæ apud Sinas) caput aperire apud Chineses nullo modo esse honoris, apud quos proinde totum sacrum potest capite cooperto celebrari.

Nec obstat quòd hac provincia non debeat à reliquo orbe discrepare, quia caput tegendo solum discrepat materialiter, non verò formaliter: immo si aperto capite celebraret, discreparet in cultu religioso, cum apud nos ideo caput aperiatur, quòd id sit signum honoris, & reuerentiæ, apud illos verò non sit, sed tale signum exhibeat, caput operiendo. Ad omnem tamen scrupuli occasionem tollendam Paulus 5. per breue, cuius initium, Re-

ma sedis Amstres, anno 1615. die 27. Iunii eidem Patri concessit, vt sacrum in China recto capite celebraretur, quod ex suo libro mihi communicauit 3. Martij anno 1617.

D V B I V M VII.

Virum ad missam celebrandam requiratur minister?

RESP. affirmatiuè, patet ex vniuersali Ecclesie consuetudine, quamuis autem Soter statuerit, vt duo essent ministri, vt patet can. *hoc quoque*, de consecratione dist. 1. vniuersali tamen consuetudine vnus sufficit in missis priuatis, neque sacerdos idcirco inconuenienter dicit Dominus vobiscum, quia non tam alloquitur ministrum, quam Ecclesiam, cui precatür pacem, unde eius oratio potest dirigi ad abentes loco, spiritu tamen praesentes. 2. illa locutio potest intelligi iuxta id quod communis accidit, communis autem accidit, vt plures missam audiant.

Dubium est num si: graue peccatum sine ministro celebrare?

RESP. esse, si fiat promiscuè sine dispensatione: ita enim ecclesiastica consuetudo videtur intelligere, & ratio decentiae videtur postulare, cum varia fiant in sacro, quæ minus commodè, & minus decenter fieri possunt à sacerdote celebrante simul supplente vicem ministri. Dixi promiscuè, quia raro & ex peculiari ratione id facere non videtur illicitum, vt si sacerdos captus ab hæreticis non possit tuto habere ministrum, & propterea deberet diu abstinere à missæ sacrificio, videretur possit interdum ad suam consolationem & peculiarem fructum spiritualem sine ministro celebrare: vel si ad ministrandum viaticum infirmo opus esset missam celebrare, nec vlus adesset minister: idem fortè licet, ne sacerdos in festo valde solemnī sacro careat. videri potest Sotus dist. 13. quaest. 2. art. 5. §. *utrum verò si quis*, Henriquez lib. 9. cap. 30. Henriquez num. 1.

Dubium etiam est, num mulier possit sacro ministrare?

RESP. negatiuè, ita Sotus supra §. *nona denique*, Henriquez supra, Siluest. verbo *Missae* art. 2. Fumus eodem verbo, num. 5. patet ex cap. 1. de cohabitatione clericorum, & mulierum, vbi dicitur: *Prohibendum quoque est, vt nulla femina ad altare presumat accedere, aut presbytero ministrare*, & ipsa honestas id postulat, indecens enim est feminam sacerdoti celebranti assistere: unde licet possit ex loco remotiori respondere, nullo tamen modo tolerandum est, vt ministret, potiusque debet sacerdos sacrum omittere, quam permittere feminam etiam monialem sibi ministrare. videri potest Sotus supra, item Vasquez annotatione in art. 5. sequentem. neque videtur tolerandus abusus, qui aliquibus in locis irreperit repugnans communi Doctorum, canonibus, regulis Missalis, & praxi timoratorum, quæ praxis & communis sententia aperte ostendunt non esse canonibus hac in parte contraria consuetudine derogatum.

DVBIUM VIII.

*Virum Missa, quae vocantur priuata,
sint licita?*

ITa vocant haeretici Missas, ad quas conuectus fidelium non euocantur; similiter eas, in quibus solus sacerdos communicat, quas vocant angulares. videri potest Bell. lib. 2. de Missa cap. 9.

Notandum licet Missa variis modis dici possit priuata si res sanè intelligatur, non tamen ita loquendum ubi subesset periculum erroris, & conueniendi cum haeticis: nam ut optimè Trident. sess. 22. cap. 6. quantumcunque Missa priuata fiat, & solus in ea sacerdos communicet, semper tamen est publica, & communis, partim quod à publico Ecclesiae ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus; qui ad corpus Christi pertinent, celebretur, partim quod populus spiritualiter communicet, vel saltem possit communicare, si velit adesse.

Dico 1. Missa, quae in priuatis oratoriis fiunt, vel in sacellis, non euocato solemniter cœtu fidelium, sunt licitæ.

Probat. Soter Pontifex can. hoc quoque, de consecratione, dist. 1. censet sacrum posse celebrari, si vel duo adsint; Gregorius 1. lib. 10. epist. 12. mandat Passio Episcopo Firmiano, ut Oratorium consecraret; idem homilia 17. in euangelia narrat Cassium Narniensem Episcopum morte instante celebrasse in oratorio sui Episcopij. August. lib. 22. de ciuitate, cap. 8. narrat sacrificium oblatum in quadam domo rusticâ, quam diabolus infestabat, & domum ad huiusmodi diabolicâ infestatione liberatam. vide Concil. Agathense cap. 14. ubi permittitur Oratorium ad missam audiendam. ex quibus, & similibus tum Pontificum, & Concilio- rum decretis, tum factis sanctorum habemus, non requiri iure diuino, ut conuocentur fideles ad hoc, ut missa celebrentur.

Confir. constat in Ecclesia missas ab omni tempore celebrari solitas pro priuatis beneficiis tum accipiendis tum acceptis, item pro defunctis, ad quas non est verisimile cœtum fidelium conuocari solitum.

Nec repugnat Basil. in psal. 115. sub finem scribens: Non in latebris delitescens sacrificabo, sed publicum exhibebo tibi sacrificium, assumpta mecum vniuerso populo, tua adorationis consortio futurus quia solùm loquitur contra haeticorum, vel schismaticorum latebras, qui ab Ecclesia se segregant, & occultos conuentus agunt, non verò vult negare sacrificium posse offerri in priuatis oratoriis, patet ex eo quod dicat: Audite, qui Ecclesiam relinquitis, & in publicis domibus versati miseris facitis corporis pretiosi scissuras, audite, inquam, quod vota precumque persolvere oporteat in medio Hierusalem, hoc est Ecclesia Dei.

Dico 2. non sunt etiam illicitæ Missæ, in quibus solus sacerdos communicat. hanc conclusionem tradit Trid. suprâ, & can. 8. eiusdem sessionis dicit anathema asserenti Missas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas. Probat. nō potest solidè ostendi vquam præceptum extitisse in Ecclesia, quo obligarentur communicare omnes, qui sacro interessent, quod si non omnes deberent communicare, non est, quod asseramus missas illicitas, in quibus solus sacerdos communicat. Probat. 2. Fabianus Papa

epist. 3. quæ est ad Hilarium Episcopum, & refertur can. & si non, de consecratione, dist. 2. tradit, ut Christiani saltem ter in anno communicent, aperte supponens non esse necessè, ut aliqui præter sacerdotem in singulis sacris communicent, cum ab initio Ecclesiae fideles frequentius sacro missæ sacrificio solerent interesse.

Confir. 1. si id ex diuino præcepto esset necessarium, ex prædictâ Fabiani constitutione data fuisset occasio maximi sacrilegij, cum videlicet sacerdos non posset secundum ius diuinum celebrare, nisi aliquibus saltem ex populo communicantibus, & tamen tolerarentur fideles, qui solùm communicarent in Paschate, Pentecoste, & Natali Domini.

Confir. 2. ex eo quod Chrysost. homil. 64. ad populum Antiochenum arguens populum, quod rariùs communicaret, non propterea duxerit à sacrificio quotidiano abstinendum.

Obiicitur 1. 22. Lucæ dicitur: Hoc facite in meam commemorationem, quibus verbis præcipitur celebranti, ut ea faciat, quæ constat Christum fecisse in vltimâ cenâ, qui Apostolis communionem præbuit, ergo sacerdos debet aliis communionem præbere.

Resp. neg. consequentiam, nam si quid argumentum concluderet, concluderet Missam non posse celebrari, nisi omnes præsentés communicarent.

Confir. ab absurdo, quod inde sequeretur, videlicet neminem posse iteratò sacrum eodem die audire, cum non possit secundò in die communicare. Dico ergo Christum verbis citatis noluisse omnem circumstantiam actionis suæ esse de substantiâ sacrificij, vel sacrificium sine illâ nō posse offerri, sed præcepisse Apostolis, eorumque in sacerdotio successoribus, ut incrementum sacrificium offerrent consecrando, & ut saltem ipsi participarent de sacrificio, sumendo hostiam immolatam, & sanguinem effusum bibendo. quoad distributionem verò non obligauit eos absolute, sed solùm, si qui adessent, qui nō legitime impediti vellent communicare. neque ex Actorum 2. ubi per fractionem panis intelligitur distributio Eucharistiæ, potest quidquam colligi, quia ex eo quod in sacrificio possit dari communicio fidelibus, non sequitur sacrificium non posse peragi sine huiusmodi distributione.

Obiicitur 2. Apostolus 1. ad Corint. 11. dicens: Iam non est Dominica cenam manducare, unusquisque enim suam cenam præsumit ad manducandum.

Resp. hunc locum nihil facere ad præsens institutum, quia ibi Apostolus non agit de Eucharistiâ, eiusque distributione, sed de agape, seu de cœniui, quod in signum charitatis Christiani Corinthij ad imitationem Cenæ Dominicæ instituebant, in qua neglectis pauperibus diuites soli epulabantur.

Obiicitur 3. quod in nostrâ liturgiâ dicatur in plurali: Quot quot ex hac altaris participatione sumpsimus, id est: sacramenta, quæ sumpsimus.

Resp. per has, & similes orationes Ecclesiam solùm velle significare, ut si qui sint communicaturi, vel communicauerint, purâ mente, & ad animæ salutem faciant, idque videtur institutum, cum frequentior esset populi accessus ad communicandum, quod tamen etiam posterioribus sæculis dicitur, quia plures saltem spiritualiter participant de sacrificio.

Obiicitur 4. varia loca, quibus videtur præcipi, ut communicent, qui missæ interfunt.

Resp. inde non licere colligere Missam esse illicitam, in quâ solus sacerdos communicat, sed ut summum

Chrysost.

182.

Obiectio prima ex Luc. 22.

Resp.

Non repugnat locus. Actor. 2.

Obiectio secunda ex 1. Cor. 11.

Resp.

Obiectio tertia.

Resp.

Obiectio quarta.

Resp.

summum concludi præsentis sacrificio, & nõ communicantes peccare, qui tamen canones iam vim non habent, immo nec videtur vnquam fuisse obligatio communicandi singulis diebus, vel in singulis sacris. adde aliquos canones peculiariter agere de clero assistente sacerdoti in Missa solemnè.

Obiectio 5. Obiiciuntur 5. varij Patres, Ignatius epist. ad Smyrnenfes: *illa firma Eucharistia reputetur, quæ sub Episcopo fuerit & c. ubi Episcopus fuerit, illuc & plebs congregetur.*

Resp. id nihil ad rem facere, quia S. Ignatius solum improbat conuentus, qui sine Episcopi auctoritate & consensu aguntur, quales proprie sunt hæreticorum, & schismaticorum.

August. August. lib. 4. de Trinitate, cap. 14. verum sacrificium censet non posse ritè offerri, nisi per sacerdotem sanctum & iustum, & nisi ab eis accipiat quod offertur, pro quibus offertur.

Resp. August. nolle eos sacramentaliter participare de victimâ, pro quibus offertur, cum sciuerit hoc sacrificium posse offerri pro defunctis & pro absentibus, sed solum velle, quod cum in antiquis sacrificiis ij, pro quibus offerebantur, comederent de victimâ, quæ debebat esse sine vitio, id optimè quadret in nostrum sacrificium, in quo primarius offerens est immunis à peccato, & eius caro mundissima, quæ nos possit mundare pro nobis oblata, & à nobis sumpta.

Chrysost. Chrysost. homil. 3. in epist. ad Ephesios: *Frustra est quotidianum sacrificium, nemo est, qui participet. & infra: Quicunque enim est, qui mysterium non est participes, impudenter stat, & nimis audacter & c.* consimilia habet homil. 61. ad populum Antiochenum, sub medium.

Resp. ex dictis circa priorem conclusionem constare Chrysost. non censere Missas illicitas, in quibus solus sacerdos communicat, addo ea, quæ obiiciuntur, non dirigi ad sacerdotem celebrantem, ut patet, sed ad fideles, quorum negligentiâ arguit, quod videlicet cum etiam impure in Paschate communicent, non tamen communicent aliâs, si digni sint, eum oblatio sit quotidiana, de qua possint communicare si vellet, quod cum non faciant, videantur irrogare iniuriam conuiuatori, quæ modo oratorio dicta sunt ad redarguendam populi socordiam, & negligentiam.

Obiectio sexta ex Strabone. Obicitur 6. quod Strabo lib. de rebus Ecclesiasticis cap. 22. in fine, requirat alios, qui communicent ad hoc, ut Missa censeatur esse legitima.

Resp. posse ita dici, si finem saltem secundarium spectemus, ad quem dirigitur sacrificium, scilicet, ut in eo conficiatur cibus animarum nostrarum, cum enim etiam ad illum finem secundariò statim ordinetur, dicendum carere aliquâ suâ perfectione, si nullus præter sacerdotem communicet, ob id tamen non sequi, quod talis Missa sit illicita.

ARTICVLVS IV.

Virum conuenienter ordinentur, quæ circa hoc sacrificium dicuntur?

Resp. affir.

AFFIRMAT, quod bene explicatur in Corpore videri possunt solutiones argumentorum: ideo verò tam multa ab Ecclesia addita sunt celebrationi huius mysterij, ut fideles ad maiorem deuotionem, & venerationem tanti Sacramenti excitentur, addita etiam sunt partim ad populi instructionem, partim ad gratiarum actionem, & ad Dei

laudes peculiariter huic sacrificio coniungendas, explicatio huiusmodi orationum videri potest apud eos, qui de ritibus ecclesiasticis scribunt, videri etiam potest Bellarm. lib. 2. de Missa, à cap. 16. vsque ad finem libri.

D V B I V M I.

Virum Missa debeat recitari lingua vulgari?

DE BERE contendunt hæretici nostri temporis.

Sed certâ fide tenendum est non esse necesse, patet ex Trid. sess. 22. can. vltimo dicente anathema ei, qui dixerit linguâ tantum vulgari Missam celebrari debere, videri potest cap. 8. eiusdem sess.

Probat, Ecclesia ab antiquo sacrum Missæ officium linguâ aliquâ doctrinali celebravit, ut facile patet ex liturgiis, ergo signum est eam iudicasse conuenientius, ut Missa non celebraretur linguâ vulgari. 2. constat nihil circa hoc statutum iure diuino, Ecclesia autem in iis, quæ in sacramentorum administratione (adde & sacrificio) statuta non sunt, potest statuere id, quod conuenientius iudicauerit, ergo potest statuere, ut Missa non celebratur linguâ vulgari, sed certis quibusdam doctrinabilibus, idque est omnino decentius.

1. Vt aliquid fixum habeatur in sacri celebratione, si enim celebraretur linguâ vulgari, quæ sæpe mutatur, maxima interueniret varietas in celebratione Missæ. 2. si in singulis regionibus celebraretur linguâ patriâ vulgari, pauci omnino sacerdotes possent in alienâ regione celebrare, & proinde tolleretur Ecclesiarum communicatio cum maximo dispendio fidelium. 3. facit ad maiestatem sacrificij, quod linguâ doctrinali celebretur: nam si celebraretur populari, multi rudes, & plebei non capientes mysteria, & varios tropos orationum, & iudicantes de rebus iuxta suam intelligentiam, sacrum Missæ officium minoris facerent, atque ita diuinum hoc officium apud illos vilesceret.

Adde quod quæ in sacro Missæ sacrificio dicuntur, non tam dicantur ad populum fidelem erudiendum, quàm ad Deum orandum, & ad gratias ei agendas, quod optimè præstari potest etiam linguâ non vulgari. Paulus 5. à Patre Trigault intelligens aliam esse linguam litteratorum apud Sinenfes & aliam vulgarem, ei concessit ut sacrum posset celebrari linguâ litteratorum, quâ linguâ posset horæ Canonice recitari, ministrari Sacramenta, verti biblia, ut constat ex breui, quod incipit: *Roma sedis Antistes*, dato 27. Iunii, anno 1615.

Dices 1. quæ in Missa leguntur, etiam recitari ad populi instructionem, cum ergo non obiter ex alio capite, quo minus Missa celebrari possit linguâ vulgari, & ex hoc capite sit necesse eâ linguâ recitari, dicendum ita fieri debere.

Resp. neg. consequentiam, quia varia incommoda Responderent si Missa celebraretur linguâ vulgari, ut ostendimus, ad id quod adfertur de eruditione.

Resp. id posse, & debere suppleri per diligentiam Pastorum, qui, ut præcipit Trident. sess. 22. cap. 8. debent populum docere de iis, quæ in hoc mysterio leguntur, aliquid vel per se, vel per alios exponendos, quo fiet, ut longè melius sint percepturi ea, quæ in sacro leguntur, quàm si linguâ vulgari recitarentur.

Dices 2. maior deuotio excitaretur, si intelligerentur ea, quæ in sacro recitantur.

Resp.